

15

Tabula Tripartita

Principium Prolegomena

Systema Specimen et Tabula

Compendium Grammaticae

III  
A 214



~~71. 25.~~  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

III A 214 (1) VITEBERG.

SIGNAT. MDCCCXIII.





2  
I. N. I.  
L Y C E V M

Eperienze  
DRAMATICVM,

In quo,  
tragicus nonnullorum interitus,  
ad cautionem,

&

flagrans quorundam in literas ardor,  
ad Imitationem,

IUVVENTVTI FRAGARIÆ,  
cum primis verò Poetis  
proponitur,

adornatum

à

M. ISAACO ZABANIO

Anno,

qVo Drama Lycei agebat Vr.

CASSOVIÆ, 1661.

---

Apud MARCUM SEVERINUM.

Nequid ad finem per finem transit eorum  
Ledy dicit eorum necesse utrumque gravat.  
Ad molendum petabat hic omni eorum.  
Deiciend' fovea secretat atq' vltis

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK SACHSEN-ANHALT  
MAGDEBURG  
VERGLEICHENDE LINGUISTIK  
UND  
RECHENWISSENSCHAFTEN  
VERGLEICHENDE LINGUISTIK  
UND  
RECHENWISSENSCHAFTEN






# Actorum nomina.

- |                   |                       |
|-------------------|-----------------------|
| 1. Prologus.      | 21. Poëtica.          |
| 2. Tempus.        | 22. Rhetorica.        |
| 3. Chremes.       | 23. Historia.         |
| 4. Puer.          | 24. Filum labyrinthi  |
| 5. Theuphobus.    | 25. Physica.          |
| 6. Aretophilus.   | 26. Pnevumatica.      |
| 7. Merobibus.     | 27. Metaphysica.      |
| 8. Hypnophilus.   | 28. Philosophia Pract |
| 9. Ponophygus.    | 29. Arithmetica.      |
| 10. Misocacus.    | 30. Geometria.        |
| 11. Luxuria,      | 31. Trigonometria.    |
| 12. Virtus.       | 32. Geodæsia.         |
| 13. Morio.        | 33. Astronomia.       |
| 14. Bucco.        | 34. Chronologia.      |
| 15. Labio.        | 35. Geographia.       |
| 16. Dæmon.        | 36. Gnomonica.        |
| 17. Lingva Ebræa. | 37. Optica.           |
| 18. Græca.        | 38. Architectonica.   |
| 19. Latina.       | 39. Theologia.        |
| 20. Grammatica.   | 40. Epilogus.         |

Epigramma,  
Ad  
Momum.

*Mome Theoninos ætæro fulmine dentes  
Excute, sic que actus aggrediare meos,  
Nō Tibi sed teneræ sunt hæc aptata iuvētæ  
Cura, hujus lucrū quærere prima fuit.*





Prologus.  
Iambici.

**S** Alvete vos Reverendi & Nobilissimi  
Viri, multa rerum peritiâ, hominibus  
Laudabiliores plurimis, virtutequè,  
Diademate velut aureo, superbientes.  
Concordiam, pacem & salutem plurimam,  
Vobis Ego medullitus cunctis precor,  
Scholarium nec non Daduchi nomine:  
Cujus voluntati obsequutus, primus hîc  
Comparui: non ætatis nec ingenj  
Fervore motus; ast unicè Didascali  
Exhausturus mandata, & expositurus  
Dramatici actus nostri futuri nomina ac  
Argumentum. Ne fortè quis vestrûm putet,  
Salacibus dicatum esse hunc actum jocis.  
Nomine *Lyci Fragarij*, nec non *Palæstra*  
Nobis venit. Namq; hoc occasio ipsa postulat  
Interpolatæ Eperiensis Scholæ: hæctenus  
Quæ plusquam Cimмериis perfusa fuit tenebris.  
Jam verò splendidâ vestita purpurâ,  
Sublime, cælum versus, erigit caput.  
Ad hanc Juventus *Enthea* virtute pellecta,  
Velut arcano celeusmate, properabit, &  
Temporis amplissimis perivasionibus,



Locum relinquet, ob miserandam perditæ  
Ætatis aureæ jacturam. Vos VIRI,  
Favete, Ludis qui gaudetis Scenicis.  
Vos, inquam, quos humaniores literæ,  
Et ipsa sacra pulpita oblectant nimis.  
Ergo profundo adeste cum silentio,  
Animum simul faciemq; nunc advertite  
Vestram. Ego redibo. Alii verò in proscenium  
Extemplò se recipient. AcroaterI  
Istius, debitis litantes honoribus.

ACTVS I. SCENA I.  
Tempus, Chremes, Puer.  
Ejusdem generis.

Quis est? meos qui depingat coloribus  
Vivis lacertos. Quis potestati meæ  
Ponet metam? Deum si exceperis,  
Feliciter suo qui cuncta brachio  
Regit: ventis Æoliis qui imperat: cui  
Difficile nil, nihil cui est impervium:  
Nullus erit à cujus Ego arbitrio  
Penderem. Quoniam quæ potentis fabrica  
Mundi fovet, benigniore quæ sinu  
Pia velut mater continet; illa omnia  
Meo subjecta sunt scepro. Parent mihi  
Omnia, solo, saloq; prodeuntia.  
Certos cuiq; pono limites Ego.  
Meas qui transilire metas audeat,

Vel



Vel possit, est nemo. Quin si tentaverit,  
Alea cadit jactu infeliciore.  
Imò spes tota concidit miserrimè.  
Hinc illa flebilis nascitur apostrophe:  
Ah utinam non suscepissem negotium!  
Quâ plurimi cœcam temeritatem suam  
Deflent, Niobæis dein guttis genas  
Serò tamen madeficientes. Temporâ  
Enim studiosè serviendum, & anfula  
Quam candidò vultu plerumq; porrigit,  
Vobis, utraq; prensanda est manu.  
Ne vos deinde pœniteat serò velut  
Phryges. Amissa namq; occasio semel,  
Post hac erit calva & supervacanea.  
Sic scilicet Dynastis ac potentibus  
Sic imperare Regibus, solet mea  
Majestas. Nîl diadema regium,  
Papales quoq; Tiaras nîl, bivertices  
Etiam Sacerdotum mitras, amaranthinum  
Puellulæ fertum, nihil prorsus moror  
Ego. Omnia hæc meis subesse legibus  
Oportet, & trutinas examinarier  
Juxta meas. Qvis enim quæso invictissimi  
Adamantis, qui nec Ætneis incudibus,  
Nec malleo Lemniaca factò machina  
Erichtonis, cedit: sed ipse vulnera,  
Machaoniis curanda artibus, infligere  
Percutienti se se solet: quis illius,  
Inquam, domare robur viribus suis.



Potest? Attamen ad nutus ille se meos  
Componere necessariò debet. Lapis  
Etiam, diurni vetustate temporis rigens,  
Atteritur, & ferrum, laboriosius  
Multoties, profundis è terræ recessibus,  
Studiis metallicorum pertinacibus  
Efoffum, vel verò erutum, jubente Me  
Consumitur mordacior ærugine.  
Homo naturæ totius compendium,  
Et omnium summum decus viventium:  
Felicior dum se stare existimat  
In otio, letalibus constringitur  
Morbis, meòque frustratur commercio.  
Celerius ruit opinione propriâ,  
Et veluti flos rubeis tinctus coloribus  
Arescit, ac vaporis instar difluit.  
Hoc pensitare omnes decet sagaciùs:  
Primum tamen juventam Pieriis sacram  
Musis, quæ parcere nequaquam laboribus,  
Neque nuncios industriæ remittere  
Debet suæ. Sed omnibus nitatur viribus,  
Occasiones sub manu velut natas,  
Ut sine fructu elabi minimè sinat.  
Apes sed sedulas imitetur perpetim,  
Dulcissimosquè virtutum legat favos.  
Non semper nec ubiquè etiam florent lilia:  
Sed juxta temporis vicissitudines  
Lociquè temperamentum. Ille fallitur,  
Qui, dum Geticum urget impense gelu,

Et Arc-



Et Arctois omnia pruinis albicant,  
Calathos suos implere floribus velit.  
Sic & Juventus fallitur docto sacra  
Apollini: quæ teneram sæpè ætatulam  
Inerti noxioquè torpore & gravi  
Ignaviâ, velut venenô conficit.  
O ô fuge otium! funestumquè excute  
Veternum, Ego donec sino. Fluxa est mora,  
Vndis & vitreis longè velocior.

### Chremes

Puer, puer! **Pu.** En Adsum, mihi quid præcipis?

**Chr:** Quin accedis, velocius? **Pu:** Congerones  
(linquam meos

Ego? quibus cum totam istam diem satis  
Feliciter, bellequè transegi satis

**Chr:** Age accurre expeditius. Nam postea  
Virgis tuam conscripsero cuticulam.

**Pu:** Mutari quod nequit, patienter perferam

Adsum: mihi ne sis molestus amplius.

**Chr:** Ignaviorem Ego Te vidi meminem.

Meum bacillum porrige Tu mihi, pedes

Vt sustentem labascentes. Etenim mea

Tristis senectus id facit, incedam ut tripes.

Cum junior fuisset, vix ferè modum

Meâ facere potui alacritati. Ceu capra

Enim, locis errans in abruptis; ceu

Cervus agilitate valens, ferarum inhospita  
Currendo sapiuscule per spelæola;  
Ceu Tigrides cursu insignes velociore:  
Ego medius in aere saltitabam:  
Nec quicquam eorum prætermittebam volens,  
Ciendam quæ ad lætitiâ proficua fore  
Videbantur. Sed ecce jam vires meæ  
Defecerunt, juvenilisquè ille ardor defervit.  
Oculi, aliquo velut obducti glaucomate,  
Diarnam nequeunt lucem conspiciariet:  
Quam nunc Phœbus temone vectus igneò,  
Et vitreis sursum sublatus ex aquis,  
Radijs spargit micantibus largissimè.  
Tremunt manus, genua labant, vox deficit:  
Membrum, nec ullum proprium facere potest  
Officium. Id omnem præter expectationem  
Evenit tam citò mihi. Putaveram  
Adhuc diu me victurum. Verumtamen  
Vis infra certè paucula satis attigi,  
Vix jam Lachesis filum abrumpit improba:  
Mœx. ô! ô jacturam jucundioris temporis  
Nanquam resarciendam! Tu ergò quisquis es.  
Mûs dicatus sedulis: nec non pijs  
Vacas Minervæ qui occupationibus;  
Vacare vel saltem cupis: Canem velut,  
Et viperam, lethargum fuge: fuge otium  
Diaboli pulvinar. Nam cito pede  
Labitur atas, momentaque temporis omnia  
Sunt irrevocabilia, lympharum instar fluentia.

Scio.



Scio quidem, meo ipsius paradi-  
gmate,  
Complurimos, corvinum CRAS, CRAS, ingeminantes,  
Darier, utramque dormiunt qui semper in  
Aurem, nec Leucothoen, per multa sapius  
Tacite distantem, ab illis observarier.  
Ast in tempore incipere, rerum hoc est omnium  
Primum. Vos ergo, quæis vale tenerrima  
Nondum dixit ætas, hæc perpendite sedulo,  
Manusquæ jam tandem vestras adponite  
Aratro. Ne mecum juxta turpissime  
Fallamini. Puer? Pu: Quid discupis? Chr: Reduc  
Me jam priores ad casas. Pu: Factum puta.

M U S I C A.

ACTVS I. SCENA II.

Theuphobus, Aretophilus, Misocacus,  
Hypnophilus, Merobibus, Ponophy-  
gus.

Ejusdem generis.

**D**ulcissimi Sodales adfitis. Volo  
Paucis vos alloquier, & fusius meam  
Exponere mentem. Ar. Adsumus, humanioribus  
Petitis ad resurrecturi tuis, eò  
Lubentiùs, quò penitius, Theuphobe,

Singu-

Singulares animi tui perspeximus

**Potes. Mis.** Eja age mihi Te charior quis est?

Ni ergò de futurâ promptitudine

Labites. Patentes nos tuis discursibus

Aures faciles damus. Hypnophile? quin stertere

Definis? **Hypn.** Ego nihil quicquã comedi. **Mis.**

Quid est?

**Quid somnias? Hypn.** Obsonia exprobras mihi:

Cui tamen Ego, ne bucella in panis quidem

Nunc sumserim. **Mis.** De pane Ego minimè loquor:

Verùm tuam periclitor sententiam:

Et Tu quoq; nostræ sis confabulationi

Non defuturus, & benignioribus

Lasurus isthæc auribus, sagacior

Quæ proloquuturus vice hac Theuphobus

**Err. Hypn.** Nunc expergiscor tuamq; intelligo.

Orationem. Quod si Asiaticam reliquerit.

Polixitatem, tædiosam mihi nimis,

Latonicumque sectatus compendium

Frenit, has in partes pedibus manibus quoque

Ego iturus. Sed nescio quidnam meus

Animi gerat Merobibus. **Mer.** Arridet tua

Isthæc responsio mihi. Dubio procul

Hæc Pallas ipsa mentem misit in tuam.

Nam multi, diu confarcinatâ oratione

Aut tores tenent. Alius verò novas

Delanâ caprinâ sæpè quæstiunculas

Format,



Format, quandam in mustaceo

Quærens laureolam. Tu quid Ponophyge dixeris

Adhæc? **Pon.** Corrugatam dum pensito illius  
Frontem, demissam quoque versus humum  
Faciem, magnum quiddam versare Eum suô  
Animô, facili conjecturâ assequor. Proin  
Paulisper audiamus, iste quid suâ

Depromet ex penu. **Th.** Rem sane acu  
Tetigisti. Ego non vana somniare somnia,  
Anilibus nec fabellis furarier  
Animum vestrum intendo; sed quod videbitur  
E re vestrâ meaque fore, nunc proferam.

**Aret.** Ah quanto Ego jam ardeo desiderio tui  
Exaudiundi! Festiva namque compellatio  
Hæc tua, amicô cum vultu admodum arctissimè  
Conjuncta, bonô esse me jubet animô. DEUS.  
Bone! quantô perfusum me credes gaudiô?  
Consilium si salubre nunc suggesseris

Nobis. **Mis.** Ego quoque quibusdam velut ignibus  
Desiderio peruror, & vix non liquefio.  
Age ergò quicquid in tuis recessibus  
Habes, communicare nobiscum velis.

**Pon.** Os fortean nobis Tu sublinere arrogas,  
Tuam quod tamdiu differas oratiunculam.

**Hypn.** Dulcis jam somnus denuo ferè opprimit  
Me, inconveta procrastinatione, plus

Ultra detentû. **Merob.** Me quoq; anhela corripit  
Sitis,



Sitis, meaque graviter discruciat viscera.  
 Igitur jam vela orationis pandito,  
 Tuamque Cymbulam, pelago committito  
 Profundiori **Th.** Neque citò, neque temerè.  
 Res namque magni ponderis, semper solet,  
 Sufurris lenioribus instillarier.  
 Tenuis pluvia madefacit vehementiùs,  
 Ac imber intempestivus, fœcundiori  
 Delapsus agmine.  
 Neque procellosò Euboicus impetu Euripus,  
 Suis tantam infert litoribus injuriam,  
 Quantam aliquis alveus leniter præterfluens.  
 Cum jam vestram luculentiùs perspexerim  
 Men tem, meum, sine mora omni, negotium  
 Aggrediar. Heu! ah heu jucundos omnium  
 Nostrum annos! quos tantum siculis consumsimus  
 Gerris, vanisque ac ventosis contrivimus  
 Nugis. Jam tonsâ nigrescunt sudaria  
 Barba: jam tempora Musis aptiora  
 Sensim avolant: adhuc tamen pigerrimæ  
 Vestigia calcamus Vacunæ. Nullus est  
 Piò qui erga Deum ductus Zelo  
 Preciosi jacturam temporis, falsis genas  
 Lacrimis aspergens, defleat. Nec quispiam  
 Est, qui maturiùs suæ prospicere vitæ,  
 Contentione pertinaci ac sedulò  
 Nitatur. Audivistis questus lugubres  
 Viri seniò confecti: qui cuticulam  
 Dealbando suam quicquid conceperat

Spei.



Spei, futuris de profectibus,  
 Omnem præter expectationem perdidit.  
 Tempus etenim, totus cui Mundus subest,  
 Pegaseis instructum pennis, celerrimò  
 Accurrit volatu, eâque quam conceperat,  
 Spe, extemplò Eum exiit. Nobis perinde ne  
 Contingat; evigilemus jam: quod temporis  
 Superest adhuc, honestis occupationibus,  
 Totum quantumcunque est, consecremus. **Ar. Bene**  
 Quidem belleque mones, sodalis optime  
 Omnino jam pellenda est procul ignavia.  
 Sed ne forsan dubiis erremus sedibus,  
 Manuductore Hodegoque est nobis opus,  
 Cohortes ad Latias, digitò velut indice,  
 Viam præmonstrante. **Mil.** Est ita ut rectissime  
 Dicis; Manuductore nobis esse opus.  
 Clausis enim certant oculis, cœcò impetu  
 Ad omnia qui feruntur: nec laboris hi  
 Sui felicem sortiuntur exitum.  
**Pon.** Tantisper præstolandum est, solitarium  
 Helene sidus, donec nobis appareat.  
 Redeamus interim. Postea videbimus,  
 Anne cuiquam nostra fiet curæ parvitas?

## MUSICA.

## ACTVS



ACTVS I. SCENA III.  
Hybnoph. Merob. Ponoph. Teuph.  
Misoc. Aretoph. Luxuria. Virtus.  
Ejusdem generis.

**A**Dvertite paulisper, Sodales optimi,  
Quid dicturus Ego vobis sum compendio.  
Hesternâ cum die, Lares ad patrios  
Venissem, dulci mox quasfata nonnihil  
Sopore, membra, recreare, animus fuit.  
Quarta dein propemodum noctis vigiliâ,  
(Si bene recordor) Eo cum à cardine,  
Hyperionis dilecta soboles, proprios  
Solveret equos, cumque ignivomos latissime  
Radios, nitidum per ortum, affatim diffunderet.  
Vidi roseo micantem vultu foeminam,  
Cui neque Thais Menandraea, nec adultera  
Par fuerat Helena, Dardanii præda Juvenis.  
Hæc me suos in amplexus, turgentibus  
Verborum ampullis, attrahere volebat.  
Arcem ostendebat, ast ruinæ proximam:  
Cujus radicibus, squamosus hiante guttore  
Draco, nec non carnivorus adstitit Leo.  
Eam falcatis discerpturus ungvibus.

**Merob.**

Multum in suis hoc somnium recessibus  
Habet. Utinam Ægeria, miser vel Oedipus

Adesset,



Adesset, ac dilucide nobis exponeret,  
Quid larvatis istis lateat sub operculis.

### Ponophyg.

Nisi me mea fallat opinio: gravissimas  
Tot post promissiones, medium pollicem  
Tibi ostendet, muremque pro Leone porriget.  
Videsis, ne pro arce, squalidus tibi detur  
Carcer, densissimâ plenus caligine.

### Misoc.

Vos somniatores, vestris imponite  
Finem fabellis, ac vana isthæc somnia  
Desinite prolixius interpretarier.  
Manuctorem quærimus. Ergò attendite,  
Numqu'is parte ex aliquâ sit venturus.  
Huc ecce fœminam, profectò insigniter  
Satis vestitam, properantem, nunc conspicio.  
Imò parte quoque ex alterâ, formosior  
Huc accelerat, amethystino, mirum in modum,  
Ornata peplô, quod Sidoniô murice  
Tinctum esse existimo. Fortè quidpiam novi,  
Istæ nobis annunciabunt fœminæ.

### Arct.

Age accedamus propius, accuratioreque  
Expendamus limâ, quidnam suô  
Agitent animô, colore Cynthiô

B

I stæ

Istæ supra modum micantes fœminæ.  
Salvete vos sexus sequioris gemmulæ.

**Luxuria.**

Tu quoque lectissima Iuvenum corolla, salve.

**Aret.**

Sirenes potius dixeris, quam fœminas.  
Quibus vos huc venistis quæso ex partibus?

**Luxuria.**

Tua prorsus nihil quod refert, desine  
Percunctari. Potius tuam cur contrahas  
Frontem, nobis exponito. **Aret.** Si quid juvaret  
Properatis id tabellis Ego committerem  
E vestigio, vel oretenus exponerem  
Vobis. **Luxur.** Quid valeant humeri quidve fere  
non

Possint, videbimus statim. Tu fac sine  
Morâ periculum, mentem que exponito tuam.

**Aret.**

Equidem querelas si meas effudero,  
Partem doloris insignem levavero.  
Nos omnes, elapsi jacturam temporis  
Flemus, commune illud revocantes in memoriam:  
O si mihi præteritos referat Iuppiter  
Annos? Nunc quia nondum omnis est sublata spes  
Redire ad frugem nostra semper est  
Devotio. At verò Andabatarum more pugnant,

Manu-



Manu ductore qui carent. Proinde jam  
Hastis ferè abjectis, hïc triftiore vultu  
Stamus, quòd non ullus nobis occurrerit,  
Qui januam recludat Cyrrhæam ad basilicam,  
Quive Caballinò fonte labra proluat;  
Aut in Parnassum subducatur biverticem.

### Luxur.

Vestram probè intellexi Ego sententiam.  
Sed quid nocturnis pallefcere chartis iuvat?  
Profundo quid scientiarum gurgiti,  
Tenellas immergere viriculas? Rumpitur  
Arcus nimium quantum intensus. Perpendite,  
Quid Ego dictura sum vobis. Monitis meis,  
Obtemperare si promte volueritis,  
Mordaces istas rescindam curas Ego.

### Theuph.

O vocem optatam, alboque notandam calculò!  
Nos omninò crassam mentis nostræ saburram,  
Bellerophontæis madefacere limphis  
Intendimus. Quicquid itaque nobis imperaveris,  
(Si modo salubre ac nostro consentaneum,  
Instituto id fuerit) serena fronte nos  
Sumus facturi ac observantiam Tibi  
Nostram, singulari quidem studio probaturi.

### Luxuria.

Ego Regina sum mundi, rerum cui  
Est affatim, vitam ad jucundam pertinentium.  
Cujusque imperium nullis terminatur ab

Oris. Vivo securè, aheneo veluti  
Præcincta muro, neque edacibus  
Ætatem curis, tetrici instar Catonis,  
Consumo. Mea nunquam sudore frons madet  
Quem fortè improbus expressisset labor mihi.  
Sed inter barbata interque suavissimos  
Nablorum, nec non Janthææ sonos lyræ  
Vivo: quæ blandi mota pollice Orphei,  
Tantò superbit chromate, ut etiam arbores,  
Tremulò ejus cantu delinitæ, se suis  
Mox exerant locis, nec non cautes  
Rotundos agant choros fluviique simul, suum  
Interrumpant cursum ac exarmatæ  
Nativam deponant feritatem beluæ.  
Non mihi Lenæi desunt munera laticis,  
Neque nectareus mihi ambrosiæ liquor,  
Neque ulla voluptatis desunt incendia.  
Nam Bacchus tyrsiger, Ceres & ipsa flava,  
Mihi sororiò ceu vinculò ac favore  
Conjuncti sunt arctissimè. Iphis sine,  
Venustos exercere non queo jocos,  
Neque Cæropium nasò crispante ciere risum.  
Hi sanè sunt individui comites mei,  
Neque latum à me (quod dicitur) discedere.  
Volunt ungvem. Neque pharetratæ arcus Cupidinis  
Neque genialis apparatus aut dapes  
Saliæres, à meò exulant palatiò.  
Hinc est, quod plurimi istis provocati  
Lenociniis, meos procentur fervidè  
ymores,



Amores, ut Sardanapalus & Heliogabalus  
Achæmenes, Caligula, Nero, qui regiô  
Omnes insigniti fuerant diademate.  
Age & vos vestigia legite mea,  
Lætisque vos sacrate conversationibus.  
Ego molli meo incessu, vobis viam,  
Istas ad delicias pergam recludere.

### Ponophyg.

Eja Sodales, quid poterat nobis gratius  
Evenisse, & quid accidisse carius?  
Corpusculum molli vestire pallio,  
Ac delicatulis farcire obsoniis,  
Thasioque sitim falernô extingvere,  
Multum profectò est, & longè gratissimum.  
Parcere laboribus ac tranquillam vivere  
Vitam, sudoreque sine omni, lætos dies  
Transigere, plerique intimis hoc sensibus  
Optarent, si ipsis tam felicibus liceret  
Esse, ac hujusmodi Corinthum adire  
Contingeret. Laborem Ego ceu viperam  
Fugio & pestem mortalibus exosam omnibus,  
Hoc namque ipsum nomen meum sat indicat.  
Cum Ponophygus, laborifuga Ego nuncuper.

### Merob.

Ita est. Conveniunt rebus sæpè nomina  
Suis. Ego perinde, alumnos inter Euchios,  
Familiam duco, neque mecum certantibus,  
Quamvis accerrimè, facilè herbam porrigo.  
Lenæi namque carchesia liquoris,

Quotiescunque immoderata Ego æstuo siti,  
Minutiora velut pocilla exhaurio.  
Hujus quod copiam sim nactus, meum  
Præ nimio gaudiô exilit pectusculum.

### Hypn.

Sodales optimi, quantopere Ego gestiam,  
Dici vix ac ne vix quidem potest. Scio  
Etenim, me quoque aliquas ibi cupedia  
Acquisitum certò certius. Proin  
Morâ sine omni illius vestigia legamus.

### Theuph

Istamne nos quoque patentem calcabimus viam?  
Multis etenim abhinc annis accepi, (prout  
Per somnium velut recordor) literam  
Pythagoræ, esse bicorni sectam discrimine.  
Namque alterum cornu, patientiore hians  
Ingressu, Circæis venientes fascinat dolis.  
Apex enim illius, quendam velut in aculeum  
Definit, ita ut per præceps infima petere,  
Nec non deorsum labi omnes oporteat,  
Quotquot forsitan Icaris illuc sunt  
Subvecti alis, aut cæcò fortunæ impetu.  
Dextrum autem cornu, angustiore multo hiatu  
Et quadam quasi rimulâ ad sese excipit  
Venientes. Ast deinde laxas pandit areas  
Locaque tranquillatati amplissima subministrat.

### Aret.

Res non est de nugis venalibus, foro  
Scrutario expositis, nec de umbella rudis

Afelli



Afelli; sed certâ judicii examinanda  
Bilance & simul severiorem ad ungvem  
Excutienda studiosius. **Mis.** Sic est quidem  
Uti optime discurritis, qui Apollinis  
Sub vexillô requiritis stipendia.  
Non itaque vanis illecebris patiamini  
Vos à salubri vestrâ intentione seduci.  
Durate, & insimul secundioribus  
Vosmet servate rebus. **Virtus.** Hem pectuscula,  
Pietati virtutique deditissima!  
Apertus hoc vestrum omnium vultus,  
Ceu nubibus carentia densis sidera,  
Rutilans, satis superque mihi indicat.  
Vos lenis divinæ aura misericordiæ,  
Vos mollis charitum Zephyrus, pectore  
Feliciores reddidit omnibus. Tumens  
Enim superciliosaque Luxuria  
Quæ more solito magnas pollicetur arces,  
Lydique copiam metalli, & quicquid humana  
Necessitas petit, sublestis nîl suis,  
Perfursionibus obtinere, nîl quoque  
Fucatis verborum coloribus, nihil  
Ceruffata mirum in modum facie suâ,  
Vobis imponere valuit. Quid hæc ad æternas  
Collata dotes sunt? dijudicent  
Illi, quorum præstantiore de lutô  
Finxit præcordia Titan. Sunt vana omnia.  
Ast entheis virtutibus litare,  
Jucundum sanè & omni laude majus est.

Ete nim virtus ignara mortis, improbis  
Nequit ligari Parcarum catenulis.  
Verum post funera quoque floret ac viget,  
Et instar palmæ, maximo sub pondere,  
Velut cupressus inter viburna, erigit,  
Caput; & quò plus premitur, eò quoque  
Ad suprema vehementius illa nititur.  
Agite itaque Pimplæis sacrata pectora  
Mufis, excusso ignaviæ jugo meam  
Properate in regiam: Ipse cui Apollo  
Baccato redimitus sero virenteque  
Ornatus laurea, præest. Ego velut  
Achates fidus Dardanii Æneæ, lubens  
Vos comitabor. Virtus enim sum, frigidum  
Simul ac calidum unò ex ore nefcia  
Efflare, cui mendacio carere, maximum  
Equidem solatium est, nec non laus optima.

### Aret.

Rectè omnino salubriterque nos mones,  
Tu Matronarum ornamentum ac decus,  
Nec non Pietatis ad cuncta utilissima  
Exemplar & clarissimum veluti specillum.  
Tu certè meritò virtus ipsa diceris:  
Cum quicquid proferas, virtutem spiret entheam:  
Quicquid loquaris Hyblæo sit dulcius thymo.  
Revera enim mundana isthæc fluxa est voluptas,  
Divinis minimè comparanda dotibus;  
Quarum si quispiam reddatur particeps,  
Nimio præ gaudiò totus mox diffluit,

Illarum



Illarum Cecropiâ captus dulcedine:  
 Nos itaque si promissis Tu steteris tuis,  
 Nobisque ad Phœbi regiam præiveris,  
 Haut inviti sequemur. **Virtus.** Ah quàm gestio!  
 Quòd vos Acherontæis vicinos portubus,  
 Quâ nauta Stygius præcipiti cymba misellas  
 Vehit ad Orcum, defunctorum mentes, potenti  
 Velut eripuerim brachiò, ac adamantinis  
Phlegetontæi Plutonis ungvibus,  
 Vos felici equidem conatu subtraxerim.  
 Jam quoque viam labyrinthis anfractibus  
 Carentem vobis ostendam, quò celerius  
 Optatam cursu metam contingere, & in abditos  
 Camœnarum recessus, sensim velut illabier  
 Possitis. Eja ergò hanc ingredimini viam:  
 Cujus ductu suprema Pindi culmina,  
Phæacas quæ arces altitudine superant  
 Suâ, conscendere vobis facilimè licebit.

### Misoc.

Ah heu Sodales optimi! quibus periculis  
 Nos involuti nunc sumus? quæ nos manent  
 Afflictos jam satis incommoda? queis obsecro  
 Adversitatum jactamur flabris? seu terra seu  
Velivolus nos teneat Pontus: nusquam petaces  
 Subterfugere arietes, neque ferulæ manum  
 Subducere nostram, possumus. Illinc Æolus,  
 Pacatam Tridentiferi domum Patris,  
 Frementibus turbans ventis, negotium  
 Facessit, navemque Ægæis jactat procellis:



Isthic Lacon fulvus, cursuque potens Aello;  
Hinc armilatus interpidò pectore Molossus,  
Apula ceu bestia, stans, candidos suos  
Exercet dentes, omnia lacerare promptus.  
Ad extremum, spinosa isthæc ostenditur  
Nobis via quæ muricibus veluti ferreis  
Repleta, prominentes ecce aculeos  
Ostentat: quæis, si qui institerint, vulnera medullis.  
Profundiora, certò certius reportabunt.

### Virtus.

Heus tu, auritò timidior lepore! cur gemis?  
Tantas profundis cur lacrimas? non te aspera  
Isthæc turbet via. Nam per multifarios  
Casus, per tot discrimina rerum tendimus  
In Latium. Dulcia non meruit, amara qui  
Non gustavit. Neque dominari scit, pati  
Qui nescit. Dulce quicquid est multas trahit  
Secum molestias. Pulchrum quod est, simul  
Et difficile est. Solutusne tam imperitus es.  
Rerum, ac tam stupidus? ut isthæc prorsus non queas  
Sagaciorè intellectus indagare  
Per vestigare. Naturæ id frequentia  
Nobis exempla manifestant clarissimè  
Age excurramus nunc aliquantò longius,  
Ut hæc, quæ diximus, suam possint mereri  
Hidem. Castanæ molles annon hispidis  
Leguntur convestitæ pellibus?  
Annon rosæ, quæ Cyprio nascuntur in  
Hortò; vel quas Pestanus alit campus;

Hama-



Hamatis sunt consertæ sentibus?

Ut non sine difficultate à suis queant  
Avelli stirpibus. Qui nempe nucleum  
Esse cupiunt, nucem frangant oportet.  
Sic, qui scientiarum perfrui volent  
Commerciò: sudore illis laboreque est opus,  
Iuxta illud, longò tritum usu proverbium:  
Plurima tulit fecitque puer sudavit &

Alsit **Theuph.** Quot verba tot pondera. quæcunq;  
In apricum profers, Delphicis majora sunt  
Oraculis. Solvite igitur metum Sodales,  
Spinofamque hanc viam mecum ingrediamini.  
Virtus enim sudore comparatur, &  
Herculeis propemodum laboribus.  
Nec in molli scientia lectò usquam jacet,  
Sed Sisyphiis acquirenda est molestiis.  
Hoc scilicet est vobis quod ante dixeram,  
Pythagoræ literam, duo habere cornua:  
Et dextrum quidem asperius augustiusque longe  
Esse, ac sinistrum, primum illuc venientibus.  
At postquam progressum aliquem fecerint, & in  
Abditiores ejus pe rvenerint sinus:  
Tum latifundia Elysiis simillima  
Vident campis, ad altifugos ducentia  
Camœnarum susurros: qui undæ instar levi  
Fluentis murmurillo, nostrum recreant  
Pectusculum. Sequamur ergò & asperam  
Ingrediamur viam. Optatum dabit DEUS.  
Istis olim omnibus finem molestiis:

M U S I C A.

ACTUS

ACTVS I. SCENA IV.

MORIO.

Ejusdem generis. Vid. Mor. Er.

Prodibit in proscenium ridens.

**B**Ene est. Putabam quod nemo adsit hęc.  
Tamen frequentem spectatorum copiam  
Video: quibus cum familiarius loqui  
Equidem vellem, si admitterent negotia  
Otia. Verum nuces relinquam, & ad meos.  
Properabo honores, vivis pingendos coloribus.  
Utcunque de me mortales vulgo loquantur;  
(Neque enim sum nescius quam turpiter audiat  
Mea hęc canina, dicturus eram, cana  
Barba, etiam inter mei simillimos) tamen  
Me esse illum, jucundis qui facetiis  
Risum plusquam Syncrusium omnibus exprimit:  
Illud profectò abunde testatur;  
Quod simul atque in hunc cœtum magnum prodii,  
Repentè vester omnium vultus, novâ  
Quadam ac insolitâ hilaritate enituerit.  
Nam mox frontem exporrexistis, lætoque quodam  
Et amabili venienti mihi cachinnulo.  
Applausistis. Ut equidem quotquot nunc contuor,  
Omnes Deorum Homericorum nectare,  
Non sine nepente, temulenti esse videamini:  
Cum tamen paulò ante tristiores fueritis  
Illis, Triphonii è specu qui ad nos revertuntur.

Certè



Certè, quod Rhetores orationibus  
Diu meditatis ac Figurarum & Troporum  
Luminibus, Erythræis veluti lapillulis  
Ornatis, efficere vix possunt, ut molestas  
Nempe animi curas discutiant; Ego id statim  
Aspectu solò præstiti. At cum non perinde  
Cunctis notum sit, cui meos Ego debeam  
Natales, id jam Musis bene juvantibus  
Exponere conabor. Non mihi Chaos,  
Non Orcus, nec Saturnus nec Japetus vel id  
Genus alius obscurorum quispiam Deum  
Pater fuit. Sed ipse Plutus, qui unicus  
Disentientibus etiam Graiis Poetis  
Et ipso Jove, Pater hominum Deumque dicitur.  
Istius unius nutu, ut olim, ita nunc quoque  
Sacra profani infima sublimioribus,  
Pæfæpe miscentur. Cujus arbitrio,  
Imperia, paces & consilia, connubia  
Et bella, & pacta, leges, artes, fœdera,  
Ludicra, seria, (jam spiritus me deficit )  
Breviter: publica nec non privata omnia hominum  
Negotia, administrantur. Quodsi locum  
Quoque natalem requiritis; quandoquidem  
Hodie, id vel imprimis ad Nobilitatem  
Quicquam interesse existimant; quo quis loco  
Primos edat vagitus: Ego certe, nec in  
Erratica Delo nec in undoso mari,  
Nec in specubus cavis, in mundum hunc sum editus;  
Sed in ipsis fortunatis insulis, ubi

Panacea

Panacea, nepenthes ambrosia & rosa,  
Naribus atque oculis mirè blandiuntur.  
Et hinc est, quod Ego à fletu nequaquam meam  
Auspicatus sim vitam: sed blande protinus  
Arriserim Matri, quin & nunc rideam  
Perpetuò, tristes arcens sollicitudines.  
Profectò, si prorsus ab omni Sapientiæ  
Mortales temperarent sibi, commercio,  
Ac mecum semper ætulam agerent suam,  
Nullum esset senium, verùm perpetuâ juventâ  
Fruerentur felices. Annon videtis  
Multos, qui vel Philosophiæ studiis, vel arduis  
Et seriis addicti sunt negotiis,  
Prius quam Juvenes planè sint, multoties  
Consenuisse, videlicet curis & assiduâ  
Acricque cogitationum agitatione,  
Succum vitalem & spiritum exhauriente.  
Ast Moriones, scilicet mei sodales,  
Quos Latio nomine, stultos dixeris, nitent,  
Sunt pingves, & bene curata cuticula,  
Porcis Acarnaniis sunt quàm simillimi.  
Cur quæso semper ephebus & comatus est  
Bacchus? quia nempe vecors est ac temulentus  
Conviviis, Saltationibus,  
Choreis, lusibus vitam omnem transigens, &  
Ne tantillum quidem, docta cum Pallade  
Habens comercii. Cur perpetuo Puer  
Cupido? nisi quia est nugator maximus,  
Nec quidpiam sani facit vel cogitat.  
Cur aureæ Veneri semper vernat sua

Forma



Forma? ideo quia mecum habet affinitatem.  
Ego enim curam, animorum ætatisque noxiam  
Pestem, jocos meis deletili velut  
Abstergo spongiâ, vultumque tetricum  
Quibusdam quasi crepundiis risu meo  
In speratam sæpè ad lætitiâ provoco.  
Nullus locus, nullum convivium est, ubi  
Non omnes anguli stultorum sint  
Pleni. Sic nempe mea cuique placent tragemata.  
Sic à potentiõribus etiam æstimator.  
Neque solus Ego sedet illi, qui meo  
Fruuntur contubernio. Proinde non,  
Possum satis demirari, quòd tam cito  
Iuvenes illi, quos conspexistis antea  
Per vastiunculis locum reliquerint.  
Virtutis, Cujus pollicem si presserint  
Idemque cum illa cornu inflaverint:  
Inepti, Arcadium veluti pecus ad omnia  
Futuri sunt. Si etenim illos ad convivium,  
Studiofi qui vulgò audiunt sapientiæ,  
Adhibueris: aut tristi silentio, aut molestis  
Identidem obturbabunt quæstiunculis.  
Si autem ad Chorum accersiveris: Camelum  
Saltare dices: Ad publicos si traxeris  
Ludos; ipso vultu Populi obstabunt voluptati.  
O si illis hæc perspecta fuissent antea,  
Nunquam in hanc incidissent nassam, sed meum  
Salubre consilium, fuissent insecuti.

ACTVS

## ACTVS II. SCENA I.

### Bucco, Labio, & Morio.

Ejusdem generis.

**J**Am Phœbus altiore vehitur axe;  
Jam cursu lineam supremi verticis  
Secat ac radios calamistratum velut  
Capillum, ad ima terræ spargit climata.  
Tu vero Labio, quodam veluti percitus  
Oestro, cunctos perreptas urbis angulos.  
An nescis, quid nostris sit impositum humeris?  
Vento profectò leviores tu præditus  
Memoria, si rem tam seriam  
Oblivione jam deleri passus es.

#### Labio.

Quid isthoc est quæso, cujus me gratia  
Alter veluti Theon, ferrato dentium  
Ordine laceras? & nescio quantam mihi  
Scribis dicam, quod Cochlearum more, non  
Tecum juxtà domesticos intrà parietes,  
Perpetuo delitescam. Jam tandem impera.  
Ego quod factò opus esse videbitur,  
Opinione celerius curabo.

#### Bucco.

Heiis tumentem ponito vultum.  
Hanc litium ferram reciprocare nunc  
Animus equidem non est. Alio nos avocatur,  
Nostræ mandatum heræ. Proinde te in pedes,

Subitò



Subitò conjice. Mensas adorna, moreque  
Solito Scyphos dispone. Quoniam concitaram  
Ab ira flectere mentem difficile est. Ne nos  
Ex improvìso & imparatos obruat  
Ille hospitem Manipulus amplam per Palatii  
Diffusus aream. **Lab.** Parata futura sunt  
Pauca intra moras hæc omnia: modò  
Sarcasticis desine infontem lacescere  
Conviciis. Heus opem fer ruituro! quia  
Tanta sub mole jam totus langvesco.  
Jam perspice; num satis aptè & commodè  
Quadras, & pocula disposuerim. **Buc.** Aptissimè  
Nunc omninò latentem ingenii favillæ  
Tui, ceu sub cinere occultatus ignis  
Foras erumpunt. Apud omnes laudem facilè  
Mereberis, qui eandem tibi ultrò conferunt.  
Jam videamus, num frigidam calefecerit  
Culinam Coquus, atquè dapes delicatiori  
Dignas palato aptaverit.

### Morio.

Olet, profectò olet; Boni quidpiam odor hîc  
Portendit. Quin & experimento mihi  
Innotuit hæctenus: quoties nares meas,  
Quibus cum Vulture de palma contendere  
Aulim, gratus perfudit odor: toties  
Sequitur fuerunt Lautitia: Quibus (famem,  
Latrantem comescere stomachum, tremulamque  
Extre-

C

Extremos ad indos famem depellere licuit.  
Hui! non profecto mea me fallit opinio.  
Video etenim stratas jam mensas, & scyphos  
Pneumatici instar organi, mira arte & ordine  
Decenti dispositos. Exulta Venter,  
Inconsvetos edito stomache plausus. Sed &  
Tugurgulio siti vexate fervidâ  
Segnes rumpe moras, & solito patientiorem  
Efforma hiatum. Nam quemadmodum  
Intelligo, benigniorem ut antea  
Fortuna vultum obvertet omnino tibi.  
Quis enim stulto (dicturus eram culto)  
Mearum vestium apparatu non moveretur?  
Etenim, nullam qui mecum familiaritatem  
Aluit hactenus, Polymito vestium  
Captus decore primum subito ostendet accubitum  
Mihi & me ut Heroem venerabitur.

## ACTVS II. SCENA II.

Luxur. Merob. Hypnoph. Ponoph.  
Buc. Lab. Mor. Dæm.  
Ejusdem generis.

**A** Deste filii, feliciore quos  
Exclusi nuper partu queis jucundius  
Nil esse potest in orbe mihi. Vos namque cum  
Meis hisce oculis intueor, amore tota  
Lique sco. Pectus subsilit, panduntur artus

Frone



Frons quoque senilis ignara rugæ, ludibunda  
Vos excipit. Quininiò ipsi quoque spiritus  
Quos ambitu suo tenent arteriæ  
Ad exteriora magno feruntur impetu  
Vos quasi salutaturi. Nunc quoniam dies  
Inclinat, astraque agminatim propemodum  
Surgunt, genio indulgebimus nostro.  
Isthoc enim tempus, voluptati sacrum  
Videtur esse ac lautioribus  
Conviviis, juxta illud: de mane consilium  
Ast de vespere convivium. Hinc sive Tetricos  
Consideres Catones, qui profundioribus  
Immersi cogitationibus: modò  
Ingvem rodunt. modo frontem contrahunt:  
sive etiam sisyphiam lacertis molem  
Versantes intuëaris: sive denique  
ecorum spectes gregem: cuncta profectò quietem  
dum Cynthius sublimioribus vehitur  
Quadrigis, captant; dumque conticescit  
tentoreo repleta boatu, urbis orbita,  
si blandam gestiunt audire musicam.

### Merobibus.

a est, ut dicis, Nos quocunque ieris sequemur.  
abeat sibi Chrysippus Stoicæ olim Philosophiæ  
professor, illam mentis carnificinam,  
qui sic in studiâ defixus fuisse  
reditur, ut illum potionis & cibi  
aperet oblivio. Faceffat Archimedes  
Geometricis tantopere intentus figuris

Ca

Ut

Ut ante Martiâ confossus cuspide  
Exhalarit animam quam captam Civitatem  
Cruentis hostium armis deprehenderet.

### Ponoph.

Colloquio perditis tempus, quod consecratum  
Certamini est. Sed non illi, quod olim  
Lento perfusa ceromate  
Campis in Olympiacis Grajugenum Turba  
Exercuit, Halricis ist hoc commitimus  
Athletis. Nos Lyæi fons laticis  
Ante omnia delectat. Cedant ergo arma poculis

### Hipnoph.

Iam svavior velut spirantibus  
Etesis, & rauco Aquarum sibillo  
Pelliicente, in me somnus ingruit. Ideo  
Vos hortor serio quò missa prodiga  
Verborum copia, telam quam texere  
Incepistis, ne deseratis. Ergo  
Mora sine omni, donec sensus interior  
Dulci sepultus somno, paxillo sua  
Suspendat munia, vestra occupate loca,  
Et Tibias (sed quæ sunt vitreæ)  
Mecum unâ solito more inflatè.

### Luxuria.

Consilium hoc non est surdis prætereundum  
Auribus. Agite ergo suum quisque occupet locum.  
Vos servi maturate cursum, atque in pedes  
Vos quantum potestis conjicite nostras huc insimul



Adferre dāpes. **Mor.** Ego quoque comes eorum  
Futurus sum. venite igitur, & si quid est  
Tantis dignum hospitibus, adferre celerius.

**Bucco.**

Tua equidem neutiquam indigemus nos opella.

**Morio.**

At Ego ultrò eandem vobis offeram.

**Labio.**

Nos talibus carere semper possumus  
Parafitis. **Mor.** Cum stulto stultus eris &  
Cum perverso perverteris. Magnatum Ego  
Ad Aulam properabo, quibus vix Tibiæ sonus  
Tantopere placet; quantopere gesticulationes  
Meæ & lepidi strophæ sermonis.

**Bucco.**

Curramus ocyus, ne pœnam forsitan  
Incurramus. Heræ namque genium novimus.  
Iam, quod scilicet in irascendo fulminis  
Celerior sit alis. **Lab.** Tu præi vestigia

Legam Ego. **Bucc.** Quas petiistis dāpes insigniter

Quidem apparatus attulimus. **Lux.** Bene est

Iam quilibet, quod maxime suo

Blanditur palato, posthabita omnino

Verecundia, (ea enim à mensis exulare debet)

Accipiat. Hic loqui poterunt liberè.

Morio tamen dabit imprimis operam,

C3

Ur



Ut colloquium, facietis suis, sale veluti condiat.

## Dæmon.

Heus! me quoque Præsentem hîc habetis, quem  
E regia Plutonis, invictissimi  
Tenebrarum principis in legatione missum  
Huc esse scitote. Quoniam vos præda nostris  
Dicata caminis estis. Noster est enim  
Quisquis sub vexillo Luxuriæ sua meretur  
Stipendia. Agite ergo meque Ducem vestrum  
Loca telluris ima petentem sequiminor.

## Merobibus,

Heu mihi! quid audio? meum cor anxio  
Terrore fractum palpitat, membraque tremunt  
Corpus totum languescit. Ah heu frigidam  
Adspergite fronti limpham. Iam namque proximis.  
Deliquium animi abest passibus. Vires resumsi.  
Ah! quam breve momentum humanæ felicitatis est.  
Fortuna nempe volubili insistens rotæ  
Græco celerius vertitur Trocho.  
Fluxa est & Pegaseis prope dixerim velocior  
Pennis. Non est tam dubius vetitæ legibus  
Jactus alexæ, ac fugacis fortunæ vicissitudo.  
Hic est Leo ille de quo somniaveras:  
Hic ille Draco est nostræ in imicus felicitatis:  
Obscura nempe sunt priusquam impleantur  
Somnia. Deinde tamen luce clariora, ut  
Et lippis & Tonforibus innotescat ultro,  
Quid illa somniorum phantasmata notarint.

Ponoph



## Ponoph.

Sic est ut dicis. Ego certè hoc malum  
Præfagiebam, dum quodam quasi Numine  
Afflatus, arce pro Palladia carcerem  
Esse expectandum nobis dixissem.  
O nos miseros! quàm lubricum fuit  
Hoc gaudium quamque infelix felicitas.  
Non jam sub Cypria nos amplius trabe  
Ducemus plurima naribus nostris Thura.  
Non Lyra, neque Berecynthia delectabit  
Tibia: non Delphica Laurus nostras cinget  
Comas: non facti in usum lætitiæ scyphi  
Methymnæo repleti succo ora rigabunt:  
Non apricos nectet flores Pimplea dulcis,  
Quæ fontibus integris gaudet, qua sine nihil  
Nostri poterant joci: non jam fidibus novis  
Aut Lesbio exhilarabit nos plectro  
Helyconiadum novena sororum Turba.  
Ah heu, quo nos mundana perduxit voluptas!  
Quo mens temporalibus nimium quantum inhians  
Bonis? En jam Cimmerias hinc descendere  
Cogemur in Umbras & stygium venire Oaxen  
Ac Infernales noxio tinctos veneno  
Colchos, calido sudantes sulphure.  
O Lacrimæ, quò vos subduxistis! ubi  
Estis vos fontes lacrimarum! redite obsecro:  
Humectate genas fertili antea madentes  
Baccho, Falernisque rubentes uvis.

## Hypnoph.

Onos

O nos miseros! aduersa quos premit  
Fortuna, Ibimus silentes in umbras. Ibimus.  
Tremendum in Orcum: cuius primis in  
Faucibus, & luctus & mordaces cubilia  
Posuerunt curæ. Ubi pallentes habitant  
Morbi, tristisque senectus & turpissima  
Egestas, durique Eumenidum thalami,  
Et vittis innexa cruentis Discordia.  
In foribus, furentes stabulant Centauri, insuper  
Scyllæ bifformes, nec non centumgeminus  
Briareus, Chimæra flammis armata ferydis:  
Ubi turbidus, Cœno vastaque voragine  
Vehementer æstuat, gurgēs: ubi perpetuus  
Corpora rodet ignis. Ah! ah! væ miseris!

Dæm.

Nil fletus, nil falsæ vos lacrymæ, iuvant.  
Pergite, dignaq; vestris accipite brabea factis.

### ACTVS III. SCENA. I.

Theuph. Aretoph. Misoc. Virtus.  
Ejusdem generis.

Q Vis ille luctus, & quæ lacrymæ? quis ille  
Clamor? quis ejulatus nostras feriit aures?

Aret.

Vix observare profectò quicquam mihi licuit.  
Omnia gemitus absorbebat & deglutiebat.

Misoc



## Misoc.

Vidi Ego per Nebulam quasi vultum aspectu horribi-  
Et Therfite longè profectò turpiorem (lem  
Quidvis lubentius dixisses, quàm  
Hominem. Monstrosa hujus facie perterritos  
In hos luctus, in hasq; lacrymas eos  
Solutos esse suspicor. **Virtus.** Salvete vos

Sacrata virtuti pectuscula. **Theu.** Tu quoque  
Tantundem Salve. Certè in Tempore  
Quod rerum omnium est primum, venisti, dum  
Nos ambiguis veluti rapimur ventis, & animus  
Diverfitate opinionum exterritus,  
Quas clamores peperere & lacrymæ gementum,  
In undoso veluti Mari, pontoq; fluctuat.

## Virtus.

Nil vos Niobæus illorum fletus, nihil  
Cadentes moveant lacrymæ, nil maximus.  
Eorum terreat ejulatus. Liberi  
Vos ac ab his alieni lamentis futuri,  
Si quam calcare cœpistis viam  
Assidua Contentione fueritis sequi.  
Hi nempe sunt, quos mundanus abripuerat amor:  
Hi sunt, qui Lubricis voluptatum  
Illecti Cupediis, universum temporis  
Vitæq; suæ Tractum, vaga libidine  
Salacibusque ac hircum olentibus jocis  
Contriverunt. Nunc autem stygiam trahuntur in  
Paludem, ubi perpetuus morique nescius,

Corpora eorum vorabit ignis, & Ætna  
Vulcania, flammivomo deglutiet sinu.  
Verum nempe est, quod Mantuanus ingeminat:  
Vates: Ah quàm facilis descensus est Averni.  
Atri Janua Ditis noctesque diesque patet.  
Sed revocare gradum superasque evadere ad auras  
Hoc opus hic labor est.

### Aretoph.

Ah heu! nigra ut evitare Tartara  
Stygiosque declinare lacus possimus,  
Dic quæso quid nobis faciendum esse censeas.

### Virtus.

Honestis operam impendite literis, neque in  
Inglorio aut inertis consenescente otio.  
Vestros explete animos suavissimo  
Illo eruditionis ac scientiæ  
Pactu, atque adeo discendi cupiditate  
Incensi, salebrosas mundi istius voluptates:  
Ac illecebras omnes, quibus liberior ætas,  
Blando quasi Sirenum cantu, mulcetur,  
Pestiferam ceu luem omni contentione fugite.

### Misoc.

Salubre hoc Consilium est. Nunc quæ sint literæ,  
Quæve Scientiæ discendæ nobis, breviter explica.

### Virtus.

Quotquot Nivalem inhabitant Musæ Pindum,  
Tritoniæ, quæ nutu Palladis  
Reguntur, illæ subito prodibunt foras.  
Vos interea patienter eas hic præstolemini.



ACTVS III. SCENA II.  
Lingva Ebraea, Græca & Latinâ.

Græca, Jambici.

Ἐλάννιζων φωνῆ εν ειραι, πασιν ἔθνεσι.  
Προηλέκαί δια τῆς κόσμου πάντων μικρῶν.  
Διαχυθεῖσα. Διά με Αποσόλοι,  
Μυσκρίων θείκων οἰκονομοικῶν ἰσοῦ  
Τῆ Χριστῆ Διάκοχοι ἐκκλησίαν νέης  
Τῆς Διαθίκης ἐφύθουσαν διά με λαμπρότητα  
Τῆς Αχαΐας πρόσωπα καὶ αὐτὸς φιλοσοφῆται  
Κορυφαῖος ταύτῃ δόγματα γέγραφε  
Ευθεν γινώσκουσιν ἅπαντες εμε  
Φοίνικα πασῶν φωνῶν ἐπιφέρεσθαι.

Latina, Heroici.

Si latius penetrare sinus, si docta Sophorum  
Scripta velis; vel Phœbeum conscendere Pindum;  
Castalios gustare favos, aut promere phthongos;

Quæ

Quales insignis quondam geminabat Arion:  
Huc ades, hasque oras celeri pertinge volatu.  
Cecropium hinc forbere thymum, Latiaque Minerva:  
Mella potes, Lingvæ crassam mollire saburram.  
*Lingva Latina* Ego sum, Romano parta sub axe;  
Mellifluis, auro veluti, phalerata suffuris.

## ACTVS III. SCENA III

### Gramm. Poët. Rhet. Histor.

Phaleucii.

Quis quis *Grammaticam* sagaciore  
Pervolvit studio, statim latentes  
Musarum penetrabit Is recessus.  
Quinimo genium vocabulorum,  
Quorum est innumeras videre ubique  
Phalanges; facili quoque Is labore.  
Cognoscet: Latias simul Camœnas  
Quæ pascunt Syrio palatum amomo.  
Reddet ille sibi faventiores.  
Quicumque ergo mea caret columna,  
Ille tradere cymbulam procellis  
Cogetur dubiis, levi & cylindro,  
Errorum rapietur in barathrum.

### Poëtica. Jambici.

Quicquid Sophocleo dignum est Cothurno  
Quicquid amaranthinis dignum est Corollis  
Id ego sinu foveo benigniore.

Quoniam Poëtica sum. Tritoniam

Quæ



Quæ vincere Minervam, facili negotio  
Possum, facundamque superare Svadam  
Si levibus pasceretur mens triumphis.  
Quod namque Bisthonia Venuſini Lyra  
Sonent, & quod Maronis Cecropius  
Profluat ore latex: id meo profectò  
Factum est munere. Mea illi Liberalitate  
Pythica cinctas Lauro gerunt comas  
Et baccatis incedunt redimiti corollis.

**Rhet. Anacreontici.**

Delphinas olim Arion,  
Citharæ sonante chorda:  
Peritus artis Orpheus,  
Citharæ tonante chorda:  
Et bestias & Arbores, Jamb: Din:  
Movisse prædicatur,  
Vicisse prædicatur,  
Superasse prædicatur.  
At Rhetorum figuras,  
Formare rite posse,  
Et Musicas Camœnas,  
Cantare rite posse,  
Et voculas amœnas,  
Sonare rite posse,  
Nostri docent lacerti.  
Quicquid canora Pitho  
Quicquid sonora Pitho  
Cantare Saltitando,  
Sonare cantitando

Svavi

Svavi solet lepore  
Et insigni decore,  
Nostri docent lacerti.

**Histor.** ΣΚΑΤΟΥΤΕΣ.

Ephebus ille perpetim est, aūt pendens  
Nutritio à matris sinu puer, qui non  
**Ea**, quæ suam ante memoriam acciderunt  
(Ut Tullius dicit) Sagacibus lustrant  
Perpetuò ocellis. Unde verò cognoscent?  
Si me satis jam calcibus petitam vulgi, non  
Severiore[m] excusserint per ungvem, nec  
Majore fors contentione tractarint.

Quæcunque Sarmatico geruntur in Ponto:

Quæcunque Riphæo geruntur in Monte:

Quæcunque Pharsaliis geruntur in Campis:

Id examuffim nostra continet cella.

**Historia** namque sum, Parentibus nata  
Divis, Olympia quos colunt subinde astra.  
In me Annibal Latiam ense subjugat terram  
Et Scipio Carthaginem: Cocles pontem  
Vellit, manumque Mucius voraci urit  
Flamma: natat Clœlia, Semiramis certat.  
Per me, fuit quod antea, aut adhucdum fit,  
Nunquam esse desinit. Dii quoque ipsi, alma &  
Mater Rhea ac ignes, simulque Tarpejus  
Jupiter, & impares potentis illius;  
Romæ, meis sanè videntur in libris, montes.

ACTUS



ACTVS III. SCENA IV:

Fil. Labyr. Physic. Pnev. Metaph.

Philos. Pract.

Alcaici.

**Q**uisquīs fugacem trajicit Euripum  
Ventos furentes qui ciet undique  
Instructus æquor nave curva  
Ingreditor teretique conto.

Quis quis refulgens Palladis atrium  
Rigente saxo condere discupit,  
Cognoscat ille exactè eandem  
Quam tenuit Polyctetus artem.

Si quem recurva Dædalus implicat  
Domo, lacunas quæ ambiguas habet,  
Quæ præparavit, fila quærat,  
Lanificis Ariadna fufis.

Dum mens Minervæ tendit ad arduas  
Virtutis arces, agmine percita  
Rerum, salubri mox juvatur  
Auxilio studioque nostro.

Et dum sagaci lustrat Apollinis  
Solertia artes, me Duce flectitur,  
Hinc haut ineptè nuncupabor  
Lux simul ac cynosura mentis.

Physica. Sapphici.

Ampla naturæ roseis ocellis  
Regna lustrare, & meliore penna

Pin-

Pingere, ad spiras, mea te recurſans  
Cura docebit.

Tigrides ſævas ſimul & jubatos  
Ipfæ felici ſtudio Leones,  
Ac Aves cunctas, vitrei Cay ſtri,

Mente prendo.

Caucasus vaſto ſcopulos reſeſſu,  
Quotquot occultat, vel amœna tempe  
Nutriunt herbas, Ego mox ſagaci

Mente revolve.

Aſt homo cunctarum animantium floſ  
Et decus, ſummi ſoboles Parentis  
Grata, naturæ eluit ipſe ſemper

Portio prima.

**Pnev̄m.** Aſclep. cum Glic.

Quisquis pneumatices tendit in ardua,  
Is mentem levibus ſubtrahat auſibus,  
Nec non cecropios rejiciat jocos,

Quos fovit tenero ſinu.

Nam quæ ludivagis ſenſibus obvia  
Non ſunt, nec rubeis tinctæ coloribus,  
Noſtra iſthoc proprio continet ambitu

Curâ parta gravi penus.

Regni prima mei Spiritus Aſtriger  
Pars eſt, Cœlicolûm qui regit agmina  
Et qui ſtammivomo lumine ſtellulas

In ſummo poſuit Polo.

Hunc Turba Angelici conſequitur chori  
Quæ ſemper roſeo manſit in æthere

(Te)



(Tetrum si tuleris Luciperi genus  
Torvi) mens hominis dehinc.

Falcatis veluti hæc excutere ungvibus  
Conſuevi, rationisque decempeða,

(Non abs re quoniam **Pnevmatice** vocor)

Recta, expendere sapius.

**Metaph.** Oct. Cat:

Non certe humi jam serpere  
Fragilemque forte buxum  
Inflare animus est, nec humiles  
Depingere hîc myricas.

**Metaphysice:** Laronii  
Soboles Patris, cui mens

Et perspicax & ardua  
Spirans. casus Pastorum;

Et id genus minutias  
Altò intueri ocello

Solet, sed ipsas Entium  
Imagines, sagaci

Revolvît animo & pendula  
Examinat bilance.

Ego ille sum scientiæ  
Apex politioris:

Ego illa cunctarum Artium  
Regina, in omnes summum

Imperium habens. Quisquis mentis  
Procabitur favorem,

Certè intima is Sacra

D

Miese

Mittetur in Minervæ.

**Pract. Philoso:** Iambici.

Civilem ne quid togam, deformet impexum, Scæz.

Neque sonoriferus ejus rostra petat Vetrerus,

Ne item res familiaris transverso agatur

Vento, mea arcet sollicitudo. quæ

Certos cuique ponit limites. Imo Scæz.

Quicquid virenti dignum lauro in humanis

Reperitur moribus, mihi id acceptum ferendum est.

Sive etenim Hæctora forti constantem pectore

Seu Iustum Aristidem seu Titum munificum,

Seu prudentem Lycurgum, sive Alexandrum

Heroum illud decus & Coryphaum, sive item

Imperterritum Catonis & Pompeij in adversis.

Pectus, sive pudicam spectes Lucretiam?

Omnes hi nostra prodierunt è schola.

**Practica** nam que **Philosophia**. sum actionum  
Humanarum norma, Cynosura & Regula.

### ACTVS III. SCENA V.

**Arithm. Geom. Trigon. Geod. & Astrô.**

Ejusdem generis.

**Arithmetica**, Ego sum divini opus Archimedis.

Humanas supra vires propemodum

Evecta. Sive n. Cœcis enigmatibus

Premaris, quæ Nodi instar Gordii Crucem

Figunt Mortalibus huc ad me concitato

Propera cursu: Ego Tibi Persicus futura sum

Acina-



Acinaces; quo si latera præcinxeris  
Tua alter velut Achilles contra audentior  
Ire, ac huiusmodi superare monstra poteris;  
Seu Computandis fiderum fortè motibus;  
Seu Temporum vacas dimensionibus;  
Huc Pegaseis accelerato alis. Namque Ego  
Et in his suppetias Tibi ferre haud gravabor.

**Geomet.** Eiusdem generis.

Quid Linea sit, quid item superficies,  
Mathematicumque corpus; id **Geometria:**  
Quam vestris nunc ocellis omnes cernitis,  
Felici successu docet. Neque id satis:  
Mathematicorum namque mira corporum  
Varietas, hanc nimium quantum commendat,  
Quibus mea abundat suppellectilis.  
Siquidem Ego artificiosas præter  
Trigoni formas & Isoperimetrarum  
Figuras, Pyramidum quoque & Octaedri  
Et Icosaedri & Trapezij & Dodec aedri  
Et Isoedri & Rhombi Romboidis &  
Coni, multarumque aliarum delineare  
Ac describere Typos feliciter doceo.

**Trigon:** Eiusdem Generis.

Vetus estatum est, quod cuncta Trigonus habeat  
Cujus si latera & angulos & hypotenusam  
Metiri quâ angulus solet pensaveris  
Nil convexus habebit Poli vultus  
Nil tota Cœlorum armatura possidebit



Micantes nil stellarum faces, quod non facile  
Tuo cedat ingenio Me ergo quæ **Trigonometria**  
Sum, si postposueris. errorum in præcipitia  
Celerrimo provolveris lapsu, & plurimarum  
Cognitione rerum, tuo ipsius privaberis malo.

**Geod.** Ejusdem generis

**Geodæsia**, Ego sum, certum ostendens modum  
Quascunque longitudes & latitudes  
Profunditates nec non altitudes,  
Sive aëriis in Turribus arte Palladis  
Divinâ extractis; seu Circummuralibus  
Fossis, seu Muris Urbes ambientibus,  
Sive Domibus, metiediartificiosè.  
Sed neque Tridenti feri latifundia Patris,  
Quæ fluctivagis fulcarier solent Carnis:  
Neque pingvia Triptolemi arva, prætereo:  
Parnassius quoque Cephisus & rapidus  
Oaxes, & Achæmenius Armeniæ Tigris,  
Et Scythicus Araxes, & Padus pleno tumens.  
Ore & sacri fontes, mensoriæ meæ  
Subsunt Virgulæ. Quæ singula Civiles ad usus  
Directa esse quilibet advertit.

**Astron.** Ejusdem generis.

**Astronomia** mihi nomen est, cui universa  
Flamantium agmina siderum subsunt.  
Quæ sit proles Neptunia peritissimus  
Olim Dianæ Venator, quæve Olenia  
Siet Capella, quæ Cytheriacum propinat

Thy-



Thymum, qui Phæbus flammiger  
 Ignivomis armatus radiis quæ Cynthis,  
 Formas ambigui more Protei, subinde,  
 Mutans, ( Gibbosam enim partim partim bicornem  
 Partim plenam tum & semiplenam ostendit  
 Faciem nobis ) Ego doceo. Insuper rotundis  
 Adjuta Circulis, quos armillata continet  
 Sphæra & motum, quo seu vitreas rapiuntur  
 Stellæ sub undas; seu pallentem fortè, Cancrorum  
 Ritu, Leucothoes repetunt axem, ostendere  
 Soleo. Phases item Lunares & Eclipses,  
 Refractiones & Parallaxes: insuper  
 Oppositiones Astrorum & conjunctiones,  
 Mira brevitate, arte tamen inculcare consuevi

### ACTVS III. SCENA VI.

Chron. Geogr: Gnom: Opt: Architect  
 Theol.

Ejusdem generis.

**C**hronologia Ego sum, sedula cui temporum  
 incumbit cura, dexter Hystoriæ  
 Ocellus. Annus bis senis stipatus  
 Mensibus, quid sit, quid mensis & dies,  
 Quid horæ quid minuta Lustra & secula  
 Sient, Ego examussim trado. Quin etiam  
 Varii generis æras, qualis Metonica est,  
 A Filio Pausaniæ, Metone dicto  
 Inventæ, quæ Lunari respondet Cyclo:

D;

Quæ



Qualis item *Callippica* est, ab inventore  
Callippo fit dicta, quatuor Cyclis, Metonicis  
Decennovalibus constans, quam dictus antor  
In honorem Alexandri Magni, postquam Darium  
Règem, Monarcham Persarum ultimum, ad Arbela.  
Fudisset, instituit, & alias plurimas  
Quas nunc Silentii involvam populo.  
Ego ad libellam rationis meae revoco.

**Geograph.** Ejusdem generis.

**Geographia** Ego sum, Globum considerans.  
Terrenum, cujus axis vastam hanc Machinam  
Duas in partes dirimens, binos constituit  
Polos, quorum Borealis alter est, ad Ursae  
Signum, Arcticus; alter australis, aliàs  
Antarcticus dictus. Postea verò globum  
Eundem, Circuli minores, quos  
Inter, duo Tropici familiam ducunt,  
In quinque Zonas dividunt. Quarum duae  
Sunt frigidae, duae v. sunt temperatae,  
Et una Torrida, quae Tropicos inter est  
Posita, graduum septem & quadraginta.  
Quid de aliis dicam? seu Regionibus, seu  
Forte Insulis, quas magno numero vastus  
Continet orbis, quae non aliunde nisi mea  
Petuntur è Schola: neque cognosces ea  
Unquam, nisi meam hac in re operam postulaveris.

**Gnom.** Ejusdem generis.

**Gnomonica** Ego sum, Conficiendis horologiis  
Ab.



Ab Apolline Musarum Præsidi dicata.  
Horologiis, inquam, verum sciathericis,  
Quæ sive Horizontalia sint, seu Verticalia,  
Et id genus alia: sive deinde in Sphærico,  
Sive in plano, superficiæ posita.  
Radiis solaribus aut aliis sideris,  
Opposito, describendam sit: perinde mi est.  
Hæc omnia nostro parent imperio, & ad  
Nostrum se se componunt arbitrium.

**Opt.** Ejusdem generis.

**Optica** Ego sum, imbecillitatem sensuum  
Circa visibilia objecta occupatorum  
Quodam modo adjuvans. Fallitur enim modis  
Innumeris sensus. Imprimis distantia  
Rerum ac Interposito, sensorium inter &  
Sensibile, medio: quin imò & subtilitate,  
Quæ tanta nonnunquam est nostrum ut res effugiat  
Visum: quem postea Ego, partim Tubis, specillis  
Partim, partim denique aliis, juvare soleo  
Modis, vel tollendis visus fallaciis, vel  
Supplendis destitutionibus, aptis.

**Archit.** Ejusdem generis.

Ego **Architectonica** sum divæ Palladis  
Filia. Seu vastas ædificare Turres,  
Seu Regalia palatia extruere,  
Seu fortè Ciuitatem vallo cingere,  
Seu Castra patentibus, metari in agris, |  
Seu denique Gigantzam per cuniculos

D 4

Vasta-



Vastare molem, discupis: Huc ades.  
Ego ubique facem Tibi præferam, modumque  
Ostendam istæc conficiendi feliciter.

**Theol.** Trochaici.

**Theologia** vocor Ego, cunctipotentis è sinu  
Univerſi generis humani salutem  
Proferens, viamque pandens ad beata  
Civium cœlestium gaudia, chorosque  
Angelorum, qui supremi aurâ Tonantis  
Perfruuntur, commigrandi. Quod Stagira  
Parturit; vel fertiles fortean Athenæ,  
Quæ velut parnassus alter cui Apollo  
Præſidet, Sacras alunt foventque Musas;  
Id profectò jubare summæ autoritatis,  
Quam supremus orbis istius Monarcha,  
Contulit mihi, sole quasi flammante, tactum  
Cedit è vestigio, & fluentis instar  
Præterit Lymphæ ac ferè in fumos abit. Proin  
Quos amor devotionis urget Almæ  
Huc venire velint. Habebunt, quæ facem illis  
Ad futuram præferat beatitatem.

**ACTVS III. SCENA VII.**  
**Arct. Misoc. Theuph. Virtus.**  
**Chorus;**

Jambici.

Expecta




Mag. INA 214

ULB Halle


3

002 814 145









2

I. N. I.  
**C E V M**  
 Eperienze  
**MATICVM,**  
 In quo,  
 nonnullorum interitus,  
 ad cautionem,  
 &  
 arundam in literas ardor,  
 et Imitationem,  
**VTI FRAGARIÆ,**  
 primis verò Poetis  
 proponitur,  
 adornatum  
 à  
**CO ZABANIO**  
 Anno,  
 Ma LyCes agebat Vr.  
**SSOVIÆ,** 1661.  
 -----  
 ARCUM SEVERINUM.

